

intersecā, puncta q̄; sectionum iunge linea recta.  
Similiter fiant duæ intersectiones supra & infra  
lineam a c, aut b c, & intersectiones ut antea iun-  
ge linea recta. Hæc cum priori concurret, cōcur-  
rat autem in puncto d, hunc dico esse centrum cir-  
culi circumscribendi triangulo a b c, Nam ab an-  
gulis ad punctum d trahæ lineas rectas d b . d  
a . d c . hæc facile probantur esse æquales , per se-  
cundam primi capituli. Lineæ enim sectiones iun-  
gentes secant latera trianguli per media , & sūt  
super eas perpendiculares .

### CAPVT TERTIVM

#### De proportione.

Proportio, est duarum quantitatum  
eiusdem generis, inter se habitudo.

PROportio est duplex, Rationalis & irrationalis .

PROportio rationalis , est quæ denominatur ab  
aliquo numero, & est inter quantitates cō-  
mensurabiles .

PROportio irrationalis , est quæ non denomina-  
tur ab aliquo numero, & est inter quanti-  
tates incommensurabiles , ut inter costam  
et diametrū quadrati, q̄ asymmetricæ sunt.

PROportio rationalis est duplex, æqualitatis et  
inæqualitatis .

PROportio æqualitatis, est quando æquale ad æ-  
quale comparatur, ut .4. ad .4.